Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31625
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

sperantes vivere. Nec parum spei in repositum in die il-
la quam mortuus tanta animis beneficia impenderunt.
Nec longe aberat dies ipsa cum talia loqueretur.
Interea iubet se sacro oleo ungi. Exeunte conventu
fratrum sollempniter fieret, non sustinuit ut ad se as-
cenderent; ipse descendit ad eos. Iacebat quidem super
solium in domo superiori. Ungitur et suscepto viatico
fratrum se orationibus et fratres commendans Deo, ad lectum re-
vertitur. Ex alto solio descendebat pedibus suis et rur-
sum nichilominus suis pedibus ascendebat, et dice-
bat mortem esse in ianuis. Quis hunc hominem crede-
ret moriturum? Solus ipse et Deus id scire poterant.
Non vultus pallidior, non macilentior videbatur.
Non rugata frons, non reconditi oculi, non nares exte-
nuate, non contracta labia, non adtriti dentes, non collum
exesum et gracile, non curvi humeri, non caro exinani-
ta in reliquo corpore. Hec erat gratia corporis eius, et hec
gloria vultus eius, que non evacuatur nec in morte quidem.
Talis quoque advixit, talis et mortuus apparebat, viven-
ti similior. Concurrimus usque huc, sed inheremus, quia
Malachias cursum consummavit. Stat ille, et nos
stamus pariter cum eo. Alioquin quis liber currat ad
mortem? Presertim tuam, pater sancte, quis referre possit, quis
velit audire? At tamen amen dicendum est. Dileximus nos
in vita, in morte non separabimur. Fratres, non relinquimus
in morte quem in vita prosecuti sumus. Ab ulteriori
Scotia usque huc cucurrit ille ad mortem; eamus et nos
et moriamur cum eo. Oportet dicere, quoniam cernere
mortem necesse fuit.

Adest omnium sanctorum clara ubique celebritas, sed iux-
ta veterem sententiam, musica in luctu impor-
tuna narratio est. Assumus, canimus vel inviti.
Flendo cantamus, et cantando flemus. Malachi-
as et si non cantat, non plorat tamen. Quid enim ploret
qui appropinquat ad gaudium? Nobis qui relinquimur
relinquitur luctus. Solus Malachias festum facit.
Quod enim non potest corpore, facit mente. Sic scriptum est:
Cogitatio hominis et reliquie cogitationis diem
festum agent tibi. Deficiente illi corporis instrumento,
silente organo oris, officio vocis cessante, reli-
quum mentis iubilo mentis sollempnizet. Quidni sol-
lempnizet, qui sanctorum ducitur ad sollempnitatem?
Exhibet illis quod mox sibi debebitur. Adhuc modicum,
et ipse unus ex ipsis erit. Sub noctis crepusculo, cum
iam utcumque diei a nobis expleta celebritas foret,
Malachias appropinquavit non crepusculo sed auro-
re. At non illi aurora, cui nox processit, dies autem ap-
propinquavit. Itaque febre invalescente, cepit ex intimis

ardens per omne corpus erumpere sudor, ut quidam trans-
iens per ignem et aquam duceretur in refrigerium. Iam
desperatur de vita eius, iam quisque suum iudicium re-
prehendit; iam nulli dubium Malachie sententiam
prevalere. Vocamur, assumus, et ille oculos levans in
circumstantes: Desiderio desideravi, inquit, hoc pas-
cha manducare apud vos. Gratias ago superne pi-
etati, non sum fraudatus a desiderio meo. Vides ho-
minem securum in morte, et necdum mortuum, iam
certum de vita. Nec mirum. Videns adesse noctem
quam expectaverat et in ipsa diei esse se, et quasi de noc-
te triumphans, videtur insultare tenebris et quodam
modo loqui: Iam non dicam forsitan tenebre conculcabunt
me, quia hec nox illuminatio mea in deliciis
meis. Et blande consolans nos: Habete, inquit, cu-
ram mei; ego vestri, si licuerit, non obliviscar. Licebit
autem. Credidi in Deum, et omnia possibilia credenti.
Amavi Deum, amavi vos, et caritas numquam excidit.
Et suspiciens in celum: Deus, inquit, serva eos in nomine
tuo. Non solum autem, sed omnes qui per verbum meum ac mi-
nisterium meum tuo se servitio mancipaverunt.
Deinde imponens manus singulis et benedicens
omnibus, pausatum ire iubet, quia nondum vene-
rat hora eius. Imus, redimus circa medium noctis;
nam ea hora lux in tenebris lucere nuntiatur.
Impletur domus, adest congregatio tota, abbates quoque
multi qui convenerant. Psalmis et ymnis et canticis
spiritualibus prosequimur amicum repatriantem.

Anno etatis L. iiii. loco et tempore quo prelegit et
predixit, Malachias episcopus et legatus sancte apostolice
sedis, velut e manibus nostris assumptus ab angelis fe-
liciter obdormivit in Domino. Et vere obdormivit.
Vultus placidus placidi exitus indicium fuit. Et quidem
omnium oculi fixi in eum, nemo tamen qui quando exierit
advertere potuit. Mortuus vivere et vivens
mortuus putabatur. Adeo nil interfuit quod alterum
discriminaret. Eadem vivacitas vultus, serenitas
eadem, qualis apparere solet in dormiente. Diceres
mortem nil horum tulisse, magis auxisse plurimum.
Non est mutatus, sed ipse mutavit omnes. Mirum
in modum omnis luctus et gemitus omnium subito
conquiescit, mutatur in gaudium meror, planctum
cantus excludit. Effertur, ferunt in cantu voces, in-
fertur oratorio abbatum humeris. Vicit fides, trium-
phat affectus, res in suum devenit statum, cuncta
geruntur ex ordine, cuncta ex ratione procedunt.
Revera quid rationis habet inmoderate plangere Ma-
lachiam, quasi non sit preciosa mors eius, quasi non